905183

I. F.

PELOPIDAS,

DUCUM THEBANORUM CLARISSIMUS,

IN ACTU PUBLICO
GYMNASII MAGDALENÆI,
A. D. 25. Augusti, Hor. 8. antemer.
celebrandus,
dirigente

M. JOHANNE FECHNERO.

VVRATISLAVIÆ,
In Hæredum Baumannianorum Typographiâ
exprimebat Joh. Christoph. Jacobi.

1667.

Lecturis Salutem dico plurimam.

Experientia locupletissima rerum mortalium testis oppidò confirmat, quod sapientissimus Quiritium Seneca (ep. 91.) scripsit: Nihil publicè stabile est, tàm hominum, quam urbium fata volvuntur. Quid enim in sublunari hoc circo tàm firmum, tàm fixum, quod ad finem suum non contendat? Nasci & denasci homines quotdiebus videmus. Quæ oriuntur, & vel naturæ vel hominum operâ in lucem producuntur publicam, ad occasum passibus non interruptis procurrunt. Hæc stadii secularis, hæc ludi hujus curulis lex est: Procedunt, succedunt, decedunt mortalia. Nulla hic datur statio, aut si datur aliquando, ut male tuta e vestigio deserenda est, & mutanda subinde colonia. Omnis quies mundi irrequies est, & via incessabili curriculo deproperanda. Quæcunque hic orbis in orbe suo continet aut distinet, rotantur, hoc est volvuntur & devolvuntur, ut Sisyphium illud saxum. Quid multis? Rerum humanarum cursus quidam quasi circinus est, qui in volubilem actus gyrum, eosdem in eodem felicitatis dignationisque gradu subsistere non permittit, ut Crœsus in adversâ sorte cordatior, quam in secundâ Cyrum subiugatorem Asiæ scitè monet. (V. Herod. l. 1.) Quicquid enim ab humili ad summum claritudinis evectum est fastigium, ut limen cœli stellantis eminenti contingere vertice videatur, rotâ vertente revolvitur & resolvitur in suum principium, id est ad ima relabitur, & velocius quidem, quam prius adscenderat. Uti enim gravia testibus naturæ consultis, motu suo proprio, quo deorsum versus centrum feruntur, sub finem celerius, quam sub initium, insitâ vi delabuntur: Sic sublimia cum supra sortem communem evecta videntur, mole suâ depressa ruunt & convulsa re-

pentè

repentè fœdum plerumq; rebus suis imponunt exitum. *Paret hoc ex tot urbium clarissimarum alto à culmine dejectarum cadaveribus*, in quas destruendas tres Dii, *ut cum*, Lipsio *loquar* (de Amphith. c. 6.) Cronius, Vulcanus & Marspiter conspirarunt. *Paret hoc ex tot rerumpublicarum illustrium, quarum sola in monumentis litterariis superant nomina, eversionibus.* *Creverunt illæ & decreverunt, surrexerunt & deciderunt*, ut flores, quos in diem gignit natura, magnâ, *ut ait historiæ naturalis conditor* (Plin. l. 21. c. 1) hominum admonitione, ut quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescere cognoscant. *Certa ætas illis à summo omnium Moderatore præstituta, suisq; limitibus ceu carceribus crescentis potentiæ gloria est circumscripta: Inde emissa in patentem circum, cum ad metam præfixam jam ventum, subsistere, & exactâ λαμπαδηδρομίᾳ, alteri facem porrigere necesse habet.*

Plurima rerumpublicarum, quæ jam olim absolutâ fatali περιόδῳ eversæ sunt, exempla concenturiare hîc possem: Sed curta hæc & emissitia papyrus in prolixam dissertationis laciniosæ syrma extendi renuit. Unicum saltim, & id quidem in illustri positum præsentiq; congruum negocio in proscenium hoc ex Græcanicâ antiquitate adducam. Civitas Spartana nullis quidem murorum turritorum substructionibus cincta, sed armatis civium fortissimorum viribus instructa, ad tantam processerat potentiam, ut inter cæteras Græcorum respublicas principatum obtineret. Athenienses gloriæ suæ æmulos sub finem belli Peloponnesiaci Lysandri versutissimi non virtute magis, quam technis callidis superatos, cum ipsum tandem Astu, δεύθερον ἑλλάδος ὄμμα, in deditionem acceptum esset, adeò impositis XXX. tyrannis premebat, ut caput denuò attollere & pristinam recuperare posse dignitatem non viderentur. Neq; contenta Atticas attrivisse opes, reliquorum quoq; vicinorum vires tàm occultis machinationibus, quàm vi manifestâ carpebat & constrictas quasi attinebat, ut contra potentiam latè-dominam moliri quippiam adversi prohiberentur. Quin ultra mare mediterraneum in Persicas Provincias virium suarum extendens pomœria, per Asiam amplissimam arma victricia, duce Agesilao, circumfere-

cumferebat, & in spem potiundi regni toto terrarum orbe tunc temporis opulentissimi erigebatur. Sed quàm repentè imperiosa ista Laconicæ dominationis majestas, inopino turbine oborto, in ipso vectoriarum cursu fuit sufflaminata, perculsa, labefactata, & ab iis quidem, à quibus minimè expectabat, à Thebanis & Bœotis, quos ut bardos & tardos rerum suarum provisores & vervecum sympatriotas alto despiciebat supercilio? Dux Spartanorum Phœbidas, Lysandri versipellis discipulus genuinus, ad oppugnandam Olynthum missus, cum per Thebas iter faceret, arcem Cadmi vetustam, impulsu civium quorundam improborum, qui rebus Laconum studebant, ut adversam factionem tantò opprimerent facilius, occupaverat, occupatam præsidio militari muniverat. Quamvis autem Ephori factum hoc non probarent, Phæbidæq;, quod posthabitâ autoritate superiorum, muneris mandati limites transgressus vicinos nihil mali suspicantes circumvenisset, imperium militare adimendum censerent: Arcem tamen non æquo Marte, sed arte malâ interceptam suis possessoribus non restituebant. Nec licebat hîc Bœotis delusis καταλυκεργίζειν *sive ad rebetras provocare & repetundarum reos arcessere Lacedæmonios: Mussitanda erat hæc injuria manu potentiori oppressis. Nempe ratio status postulare videbatur, ut inimicitiis semel susceptis, Thebanorum civitas ex arce forti munitâ præsidio quasi obsessa in officio contineretur, ne libertati restituta & memor injuriæ illatæ novas daret turbas, & florentem reipubl. spartanæ statum concuteret. Propterea & suarum partium homines urbi regendæ imponebant Ephori, qui dominationis alienæ adversariis partim cæsis, partim in exilium actis, cæteros cives Laconicum jugum suscipere cogerent. Sed astutum hoc molimen Spartiatis, qui fortunam in potestate suâ habere & dæmonium prudentiæ circumspectæ in pectore se possidere putabant, in perniciem cessit, juxta illud mimici sapientis:* Malum consilium consultori pessimum. *Nam dolum dolo remensi Thebani inimicos captatoresq; callidos suis artibus ceperunt implicitos. Pelopidas enim maximi animi juvenis, cum aliis Thebanis, qui patriâ expulsi Athenis exulabant, consilium de Thebis liberandis agitabat, & ut conata perficeret, habitu venatorio & agresti indutus urbem patriam ingressus, cum consciis consilii civi-*

bus

bus non nullis, quibus dominatus Laconicus tædium pepererat, adversæ factionis principes inter epulas & jam probè appotos obruit, & pro poculo Bacchi Herculis scyphum confuso spumantem sangvine ipsis propinat, ac porrò sublatis iniquis reipublicæ patriæ incubatoribus arcem exturbato Spartanorum præsidio, feliciter recepit. Sic exigua manus exulum ventosam Laconum superbiam & viribus suis nimis confisam potentiam graviter perculit. Quod ipsum fusè exequitur clarissimus Bibliothecæ historicæ instructor Diodorus Siculus, [lib. 15.] *succinctè verò* Cornelius Nepos cum Plutarcho *exponit.* [in Vit. Pelop.] *Notandum v. hic appprimè*, quantæ calamitati soleat esse nimia fiducia. Nemo enim celerius opprimitur, quàm qui nihil timet. [Vell. Pat. l. 2. c. 118.] *Dicto huic fidem facit tragicum exitium magistratuum, qui à Lacedæmoniis civitati Thebanæ obtrusi erant. Advolabant ad aures ipsorum nuncii, qui exules in urbem adventasse indicabant. Advolabat epistola, quæ Archiæ principi civitatis eosdem exules Athenis habitu venatorio exiisse, & animo gladiatorio ad ipsum affectare viam significabat. At quid ille? O supinam negligentiam! Poculis cum collegis indulgens, ne resignare quidem litteras tanti momenti sustinebat, easq; recondens, in crastinum dixit, differo seria. Sed illa procrastinatio compotatoribus istis vino sepultis attulit celerrimam perniciem. Nam Pelopidas, quem tanquam nihili homuncionem despicatui habebant, illâ ipsâ nocte non cunctatus omnes interemit. Quod igitur Thrasybulus nobilissimus XXX. tyrannorum oppressor fuit Athenis*, [V. Nep. in Thrasyb.] *illud Thebis fuit Pelopidas alieni in patriâ dominatus destructor clarissimus.*

Jacta belli jam erat alea: non enim adversariam tantum factionem oppugnaverant exules, sed ipsos Lacedæmonios, qui tunc Græciæ totius habebantur principes, lacessiverant. Susceptum itaq; bellum à Thebanis, consentientibus Bœotarchis, & Epaminondæ, qui sapientiam & fortitudinem militarem felici junxerat contubernio, rei gerendæ summa committitur, ita ut Pelopidas tanquam optio vel legatus ab ipso esset secundus. Accedebat autem alia & recens belli causa, quæ Thebanos & universam Bœotorum

rum gentem in justissimam accendebat ultionem. Duo adolescentes Spartani Scedasi cujusdam, qui Leuctris Bœotorum habitabat, filias juvenculas vi constupratas & illatâ contumeliâ contrucidatas in puteum dejecerant. Ad facinus tàm detestabile connivebant Ephori, & in nefandos ejus autores non animadvertebant. Sed cernere hîc est manifestum exemplum vindictæ divinæ, quæ integra sæpe regna ob libidnem propudiosam & scelerum impunitatem evertit. Nam paulò post Lacedæmonii in illustri illâ pugnâ, quæ â loco ubi commissa est, & ubi scelus illud execrandum perpetratum fuerat, Leuctrica dicitur, adeò â Thebanis, Epaminondâ duce, cæsi fractiq; sunt, ut principatum Græciæ amitterent, neq; postea ad vires pristinas consurgere valerent. Eo in prælio Pelopidas delectam manum, quam Diodorus *supra laudatus sacrum agmen vocat, duxit, ac forti in phalangem spartanicam impressione aciem dissolvit, & victoriæ viam primus aperuit. De hoc* Pelopidâ *drama quoddam ductu* C. Nepotis, *scriptoris nitidissimi, qui vitam herois hujus eminentissimi graphicè exposuit, conceptum cras, Deo clementer indulgente, exercendæ monendæq; juventutis ergô exhibebimus: neq; verò viri tàm excellentis acta omnia persequemur, sed vitandæ prolixitatis tædiosæ gratia, ea saltim delibabimus, quæ ante pugnam Leuctricam ab ipso memorantur gesta, omissis iis, quæ postidea variante fortuna ipsi contigerunt.*

Vos autem, Viri Magni, Clari, Docti, Boni, Patroni & Fautores litterarum nullo non observantiæ & honoris cultu prosequendi, summissè ac enixè rogamus, ut diei crastini horâ in frontispicio indictâ, si prolubium vobis fuerit, ad ludum nostrum invisere & præsentiâ honorificâ Actum hunc per se non splendidum illustrare dignemini. Invitamus Vos non ad spectandos

panto-

pantomimos; histrionicum quippe studium Rosciis tractandum libenter relinquimus, sed ad audiendos narratores & consultatores personatos. Hisce enim ascematis adolescentes nostros non tam ad gestus scenicos exprimendos, quàm ad claram, distinctam, disertam pronunciationem, quàm in declamationibus singulis septimanis haberi solitis, fere negligunt, præparamus. Equidem spero, Vos hoc institutum nostrum candido probaturos calculo: proinde Vobis submissæ observantiæ & officiosæ promtitudinis studia, in redhostimenti vicem, *sedulò polliceor.* *P. P. Die* 24. *Augusti, Anno* O. R. *1667.*

Producen-

Producentur,

1. Cadmus, arcis Thebani conditor, vice Prologi, Gotofredus Wimmer, Vra.
2. Narratores, Historiam de Pelopida exposituri,

Latinè, ex Cor. Nepote,	Germanicè ex Interprete,
Wenceslaus Abraham Stirius Vrat.	Florianus Fischer / Steinâ-Sil.
Georgius Hänel / Jaurâ-Silef.	Jeremias Schebel / Vratisl.
Abraham Nischelcky / Lesnâ-Polon.	Johan. Christophorus Grundtman / Vr.
Salomon Gräbner / Vratisl.	Samuel Prætorii in Rauschke / hæred.
Adam Christianus Scholtz / Vratisl.	Christianus Scholtz / Vratisl.

3. Recitatores Gnomarum ex Nepote & aliis,

Christophorus Güssovius,	Vratisl.	Christophorus Lindner /	Vratisl.
Johann. Michael Koser,		Joachimus Felgiebel.	

4. Actores & Interlocutores dramatici,

Pelopidas, Christophorus Pricelius Dracomontio-Silef.
Charon, civis Thebanus, Johannes Crantzius Leorinus Silef.

Dicarchus,	Ephori Spartani.	Caspar Neumannus, Vratisl.
Alcæus,		Sigismundus Cunradi Sorâ-Lusat.
Menophilus,		Michael Gebhardus Sorâ-Lusat.
Aristogenes,		Christian. Philippus Montag / Cüstrino-March.

Trophimus, expeditor, Daniel Lindnerus, Dracomontio-Sil.
Scedasus, civis Leuctricus, Christophorus Fribenius Landshutt, Silef.

Ismenias,	Exules Thebani & Pelopidæ socii	Christianus Herrmannus Namslâ-Sil.
Nicanor,		Christianus Schauertus, Laubâ-Lusat.

Pyrgonices, arcis Thebanæ Præfectus, Gottfrid â Tilisch /
Archias, civitatis Thebanæ princeps, Johann. Ernestus Güssovius Dracomont.
Stolon, expeditor, Johannes Christophorus Preibisius Sorâ-Lusat.
Epaminondas, Dux Thebanorum, Johannes Kurtzmannus, Vratisl.

5. Epilogi loco Exules Thebani & venatores personati, superius nominati, carmen in laudem venationis decantabunt.